



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Sed an qui ponit actum aliquem Lege divina, & humana prohibitum,
excusat à pœna Legis humanæ, si ignoret inculpabiliter solam Legem
humanam?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

rantia affectata nunquam excusat à pœna gravi: quia meritò æquiparatur scientiæ, cum includat scientiam periculi directè voliti, contemptum legis, temeritatem, ac præsumptionem; & auget culpam propter majorem affectum peccandi.

Resp. IV. Ignorantia licet invincibilis solius pœnæ non excusat à pœna, quæ saltem non sit Censura. Quia 1. Ignorantia solius pœnæ non excusat à culpa, propter quam est obligatio ad pœnam lege statutam. Et ideò Deus infideles pœnâ æternâ ob peccata mortalia punit, quamvis invincibiliter ignorent talem pœnam illis debitam esse. Item homines mortis pœnâ mulctant fures, quamvis eam ignorantes. 2. Pœna non debet esse voluntaria sicut culpa: imò magis est pœna, dum est involuntaria.

Sed, an qui ponit actum aliquem lege divina, & humana prohibitum, excusatur à pœna legis humana, si ignoret inculpabiliter solam legem humanam?

Resp. Non videtur excusari, regulariter loquendo. Quia talis ignorantia non tollit omnem causam pœnæ, nempe culpam. Nam in hoc casu violatur inculpabiliter Lex divina; & Lex humana non solum intendit punire transgressionem suam

am voluntariam, sed etiam culpam contra Legem Dei commissam: & aliunde notitia pœnæ non est necessaria ad contrahendam ipsam pœnam. Hinc rebaptizans fit irregularis ex delicto, licet ignoret invincibiliter legem Ecclesiasticam de hoc latam, si nôrit divinam.

Dixi, *regulariter*. Nam 1. excipiuntur Censuræ, à quibus excusat semper ignorantia invincibilis legis Ecclesiasticæ, eò quòd requirant contumaciam contra legem Ecclesiasticam, qua caret is, qui ignorat invincibiliter talem legem. 2. Si pœna extraordinaria sit, minui debet: quia minor est contemptus, ideòque culpa minorem pœnam meretur.

Q. 4. *Quid est Lex irritans, & quanam ejus effectus?*

Resp. I. Lex irritans est ea, quæ statuit actum aliquem esse invalidum. Constat autem actum, qui fit contra talem legem, esse nullum, etiam in foro conscientiae: quia in Ecclesia, & in Rep. est potestas legitima irritandi actus, sive præscribendo certam formam actui, cujus defectus impediat actuum valorem, & obligationem, sive subditos reddendo inhabiles ad certos actus. Nam talis potestas ad bonum commune, & rectam, ac efficacem gubernationem requiritur, cum sine tali pote-

L a

sta-